



## **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Impedimentis Matrimonii, Usu Et Divortio

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1685**

Concl. IV. Pontifex illicitè dispensat sine justa causa, fortè etiam invalide.  
Iustæ causæ sunt: Bonum pacis, angusta loci, inopia personæ &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73448)



censent quòd Episcopus (supposito eorum valore) non possit ea dissolvere ad petitionem metum passì? Ipse Sanchez sup. oppositum indicat, quando dicit, Episcopum non posse relaxare juramentum tertio præstitum, nisi turpitudò ex parte illius tertij reperiatur. Ergò si reperiatur, potest relaxare; sed quando sponsalia inita sunt ex gravi metu, reperitur turpitudò ex parte illius, qui metum intulit; ergò tali saltem casu potest Episcopus sponsalia dissolvere, atque adèd dispensare.

Sponsalia non sunt proprie dispensabilia sed potius solubilia, ex Dicast.

Siquidem (ut benè notat Dicast. sup.) hujusmodi impedimentum non videtur propriè loquendo dispensabile, cum sit impedimentum juris naturalis; sed tantum contractus ille sponsalitijs, qui impedièbat Matrimonium, potest rescindi à legitimo Superiore ex causa, ita ut non amplius subsistat, liberando contrahentes à vinculo & obligatione illius contractùs; quando judicatur rationi consonum, quòd (etiam altera parte vel utràque renuente) talis obligatio non subsistat. Nam quòd, subsistente contractu sponsalitijs, non sit impedimentum, fieri non potest. Solum ergò dispensationem appellamus rescissionem & dissolutionem talis contractùs, ad quem contractum dissolvendum ex legitima causa, non video, cur non habeat potestatem, etiam Episcopus. Sic ille.

227. Iudicium Auctoris.

Neque ego satis clarè video, eo semper salvo, ut requiratur major causa ad illam dissolutionem, cum privatione juris tertij acquisiti, quàm ad simpliciter dispensandum in propria lege, vel Superioris, sinè alicujus detrimento. Pono casum, quòd Matrimonium cum tertia persona sit omninò necessarium ad conservandam v. g. fidem Catholicam in aliqua Diocesi, cur Episcopus non possit priora sponsalia dissolvere, etiam utràque parte renuente?

228.

An iudex secularis possit aliquo casu dissolvere sponsalia.

Imò, cur Iudex secularis id non possit, quando Matrimonium cum priori sponsa cederet in notabile damnum Reipub. & summè expediret ejus bono, ut alteri copularetur? Nam & ipse, ut constat ex usu & praxi, potest compellere sponfos ad fidem servandam, sicut compellit ad aliorum contractuum fidem non violandam, etiam si sint juramento stabiliti: ergò veluti rescindit alios contractus sic stabilitos, justà causà existente; ita etiam contractum sponsalitijs, vel assignetur disparitas.

Videtur quòd sic.

Equidem non majus aut firmius jus acquiritur per contractum sponsalitijs, quàm per contractum emptionis aut alium similem, puta solum jus ad rem. Sola differentia est, quòd contractus sponsalitijs ordinetur ad Matrimonium, quod est Sacramentum; ideoque spectet de eo cognoscere ad Judicem Ecclesiasticum, scilicet Episcopum, aut ejus Vicarium, cujus est cognoscere seu judicare de Sacramento Matrimonij: interim cum de se sit contractus civilis, utpote nec Sacramentum, nec quidpiam Sacramentale; quid ni etiam de eo cognoscere possit Iudex secularis: atque adèd vel cogere ad impletionem, vel eum justà de causà rescindere?

229.

Et herculè, nec aliud videtur posse Pontifi-

cem in hoc casu: adèd ut, si dispensaret aut dissolveret sponsalia sinè justa causa, dissolutio non valeret, estò in alijs impedimentis, lege Pontificià inductis, possit validè sinè justa causa dispensare.

Dico: Estò possit; quia quòd possit, non est certum, sed multum disputabile, ut patebit ex sequenti Conclusionè, quæ talis est:

## CONCLUSIO IV.

Pontifex illicitè dispensat sinè justa causa, fortè etiam invalidè. Iustæ causæ sunt. Bonum pacis, angustia loci, inopia personæ, &c.

**L**oquor de omni impedimento, non tantum juris naturalis aut Divini, sed etiam Pontifici. Et ratio invaliditatis est: quòd dispensando sinè causa excedat limites suæ potestatis; ergò dispensatio nulla est.

Antecedens probatur: quia Superior dispensans, etiam in lege propria, non operatur ut Dominus, sed ut dispensator fidelis, & prudens: ergò operatur per potestatem à supremo Rectore ac Legislatore, Deo scilicet, concessam; sed non minus Deus, imò multò magis, quàm humanus Princeps, præsumitur dare suam potestatem, adstrictam legibus justitiæ, & illius formam postulare, tamquam essentialè in actu talis potestatis; quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, multò certè magis, quàm ea, quæ sunt ab humano Principe; & ideo dicitur Deus non dare potestatem in destructionem, sed in ædificationem, 1. Cor. 10. Ergò illa dispensatio, quæ dissipatio est, & in destructionem, non est à potestate data à Deo; ac subinde nulla est.

Porro quòd dispensatio sinè causa sit dissipatio, omnes admittunt cum D. Bernardo dicente lib. 3. de Consider. c. 4. in fine: *Vbi necessitas urget, excusabilis dispensatio est. Vbi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est: utilitas, dico, communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Quod probè scientes Patres Concilij Trid. varijs locis postulant ad dispensationem justam causam, signanter Sess. 24. de Refor. Matr. c. 5. circa finem: *In contrahendis Matrimonij vel nulla omninò detur dispensatio, vel raro, idq; ex causa, & gratis concedatur.*

Et Sess. 25. de Refor. cap. 18. generaliter ait: *Sicuti publicè expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat: sic frequentius legem solvere, exemploq; potius, quam certo personarum rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est, quàm unicuique ad leges transgrediendo aditum aperire. Quapropter sciant universi, sacratissimos canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quòd si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit,*

Pontifex non potest sinè causa validè dissolvere sponsalia.

230. Probatur, Papam invalidè dispensare in proprijs legibus sinè justa causa.

231. Dispensatio sinè causa est dissipatio, ex D. Bernardo.

Trid. multis locis postulat justam causam.



stulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis à quibuscumq; ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterq; facta dispensatio subreptitia censetur.

232.  
Probatur  
talem dis-  
pensatio-  
nem saltem  
esse illicitam, ex  
Suario.

Ex his autem liquidò constat, dispensationem sine causa, saltem illicitam esse, quod Adversarii non negant, & à Suario lib. 6. de Leg. c. 18. n. 6. optimè probatur ex jure naturali. Nam Princeps (inquit) etiam si fit auctor legum, non est dominus (ut sic dicam) sed dispensator illarum; ergò etiam quando in illis dispensat, se gerere debet, ut fidelis dispensator & prudens, & non ut absolutus dominus. At si absque causa unum vel alium liberet ab obligatione legis, nec prudenter, nec fideliter dispensat; ergò abutitur suo munere, & peccat.

Legislator  
non potest  
ponere leges  
in suam pri-  
vatum utili-  
tatem.

Primum antecedens probatur: quia Pontifex, vel etiam Rex, non est absolutus dominus communitatis sibi subditæ, sed pastor & rector; & idè non potest leges ponere in suam privatam utilitatem, sed pro communi civium utilitate; & propterea Legislatores à Paulo vocantur ministri & dispensatores Dei; ergò ipsa legislatio est quædam fidelis administratio, seu distributio obligationis, quæ per legem imponitur.

233.  
Eiusdem po-  
testatis est  
dispensatio.  
Et Legisla-  
tio.

Prima verò Consequentia probatur; quia ejusdem potestatis est in Legislatore, actus dispensandi in lege, cujus est actus ferendi legem, ut constat; ergò est actus non dominij absoluti, sed administrationis, & (ut ipsum nomen præ se fert) est actus dispensatoris, ut sic; ergò etiam debet esse fidelis & prudens.

Dispensatio  
sine causa  
non est pru-  
dens.

Quòd autem dispensatio, sine causa facta, non sit prudens, per se notum videtur; quia non est consentanea rectæ rationi, nec fini potestatis, à qua procedit; nam illa per se est propter bonum commune; illa autem dispensatio est tantum propter privatum commodum vel affectum, & ita est abusus potestatis; item, quia lex est commune bonum, & illa vulneratur sine causa. Denique, quia uniformitas ac proportio inter membra corporis, per se spectat ad totius corporis bonum, quod etiam per tales dispensationes læditur & deformatur. Hactenus Suarez.

234.  
An sit pec-  
catum mor-  
tale? Affir-  
mat Suarez;  
quia contra  
triplicem  
justitiam.

A quo si queras; an sit peccatum mortale, sic dispensare, & cui virtuti talis dispensatio opponatur? Respondet n. 9. esse peccatum mortale ex genere, quod probat n. 10. quia est peccatum contra triplicem justitiam. Primò commutativam; quia Princeps ex officio tenetur talem dispensationem non dare; obligatio autem ex officio maximè spectat ad justitiam commutativam. Secundò, justitiam legalem, ex qua tenetur Princeps nihil agere contra commune bonum; talis autem dispensatio ex se multum nocet bono communi, & est illi contraria. Tertio, distributivam, & hæc videtur esse propria specificæ malitia talis actus: nam directè est acceptio personarum. Acceptio autem personarum opponitur justitiæ distributivæ. Unde ex suo genere est peccatum mortale,

maximè, quando radicitur in obligatione officii: ita verò est in præfenti.

Et declaratur: nam à principio ferre legem non simpliciter pro tota communitate, sed excipiendo aliquos ad libitum sine causa, contra justitiam distributivam est, & de se mortale contra totam illam communitatem; hoc autem fit virtute per talem dispensationem: ergò. Sic Suarez.

235.  
A principio  
ferre talem  
legem de se  
est mortale.

Subsumo ego: atqui lex à principio sic lata, non est vera lex; ergò nec talis dispensatio valet. Probatur Subsumptum; quia secundum Suarium lib. 1. de Leg. cap. 9. n. 10. De ratione legis est, ut justè feratur, & aliter lata non erit vera lex.

Prorsus, inquis; sed hoc intelligendum putat Suarez ibid. n. 14. quando tanta est improportio & inæqualitas legis, ut redundet in detrimentum commune, & in grave ac injustum onus plurium membrorum ejus. At verò (inquit ille) si contingat legem de se utilem esse, exceptionem tamen aliquam esse iniquam, non propterea lex esset omninò nulla, aut cessaret obligare alios; quia illis non fit propriè injustitia positiva (ut sic dicam) imponendo illis tale onus; quia hoc per se malum non erat, sed fit solum improportio quædam respectu aliorum, & totius communitatis, quæ non videtur satis ad nullitatem legis. Quòd si ex quorundam exceptione graventur alii ultra æquitatem, quoad illum excessum non obligabit lex; poterit tamen obligare quoad aliud, in quo non esset injusta, ut in legibus tributorum videre licet. Sic Suarius.

236.  
An inde be-  
nè sequatur:  
ergò non est  
vera lex?  
Negat Sua-  
rez.

Verum enim verò, quod ipsi videtur insufficiens ad nullitatem legis, hoc aliis videtur satis esse. Probanda ergò foret illa insufficientia, & non supponenda; vel si probavit, dicendo, Non videtur satis; ego reprobavi, dicendo, Videtur satis.

An audien-  
dus.

Sed audiamus, quid Suarius respondeat ad positivam nostram probationem, in principio Conclus. adductam. Lib. 6. c. 19. n. 11. dicit: hanc dispensationem excedere potestatem juris, non facti. Distingui enim debet duplex potestas in Legislatore, una est naturalis volendi vel nolendi, quam voco potestatem facti: alia superaddita seu jurisdictionis ad obligandum alios. Dispensatio ergò sine causa data, magis est à priori potestate, à qua habet substantiam & valorem suum; quia Superior volens sic dispensare, operatur ut dominus suæ voluntatis, & quoad hoc non operatur ultra suam potestatem; & hoc est satis, ut sit validus actus, etiam si non sit secundum usum debitum alterius potestatis jurisdictionis suæ.

237.  
Ejus res-  
ponso ad  
1. probatio-  
nem.

Nam si quis rectè advertat; ille abusus talis jurisdictionis, omisivus potius est, quam activus (ut sic dicam) nam qui vult dispensare, solum vult non obligare subditum suam lege, & ita potius vult non uti circa illum jurisdictione suam, quam uti; & idè talis actus validus est, etiam si sit extra talem potestatem, id est, extra positivum usum ejus. Quia potestas jurisdictionis quoad



quoad usum essentialiter pendet à voluntate habentis illam, & ideo, ut non influat, vel non obliget, satis est, ut Superior nolit suâ jurisdictione uti, etiam si malè faciat non utendo.

238. Ita ergò se habet, cum vult dispensare sine causa: nam licet verbum, *dispensare*, significet per modum effectus positivi, reverà est privativus; & ideo non tam propriè dicitur ille actus excedere potestatem jurisdictionis, quàm deficere à debito usu ejus; actus autem habens si-milem defectum, validus est ex vi absolutæ voluntatis, ut patet in abrogatione legis; & idem est in remissione pœnæ, sine causa factâ, & similibus. Hactenus præfatus Auctor.

Hac respon- sio non sa- tisfacta. Expendamus singula, & continuò apparebit, responsionem hanc nullatenus satisfacere. Imprimis hic dicitur: Superior volens sic dispensare, operatur ut dominus suæ voluntatis: Cap. autem 18. n. 6. Princeps, etiam si sit auctor legum, non est dominus, sed dispensator earum; ergò etiam, quando in illis dispensat, se gerere debet ut fidelis dispensator & prudens, & non ut absolutus dominus.

239. Infero ego, igitur Superior volens dispensare, non operatur ut dominus suæ voluntatis, sed ut dispensator legum. Atqui dispensator non validè dispensat bona sibi commissa, si, cum debeat æqualiter dispensare, dispenset inæqualiter; ergò Legislator dispensans inæqualiter legem, cum debeat æqualiter dispensare, non validè dispensat; quia uterque operatur, etiam quoad hoc, ultra suam potestatem.

Audio dicentem: dispensatio bonorum est effectus positivus; dispensatio autem legis, privativus tantum, ut sup. Suarez.

240. Sed contra: dispensatio legis non tantum est nolitio utendi suâ jurisdictione; sed insuper volitio obligandi; nam est sublatio legis seu relaxatio in casu particulari; atque adeò manente voluntate obligandi communitatem: hæc autem voluntas in casu proposito injusta est, & ideo nulla, quia excedit potestatem jurisdictionis, quæ omninò necessaria est, ut voluntas illa valeat.

Hinc patet disparitas inter abrogationem legis & dispensationem; quòd abrogatio sit privatio omnimodæ voluntatis Legislatoris, à qua tamen voluntate essentialiter dependet lex; imò quæ formaliter est ipsa lex. At verò dispensatio non est privatio omnimodæ voluntatis Legislatoris, sed partialis tantum respectu particularis personæ, remanente priori voluntate respectu cæterorum; illa autem permanentia excedit potestatem, sicuti & prima constitutio; potestatem, inquam, juris, sine qua nequit existere lex.

241. Proinde hic nocet habet locum illa distinctio Suarii inter potestatem facti & juris; estò vera sit in abrogatione propriæ legis. Uti etiam in remissione pœnæ, quando tantum intervenit privatio voluntatis infligendi pœnam, v. g. quia Iudex non vult ferre sententiam, quando hæc est necessaria.

Si pœna (inquit Vasquez 1. 2. disp. 178. cap. 4. n. 32.) esset solvenda per sententiam, fore, ut per talem dispensationem ille, cum quo

ita dispensatum esset, non deberet illam solvere; quia donec sequatur sententia, nemo illam debet: si tamen pœna esset inhabilitatis, & irregularitatis, & suspensionis, aut irrationis alicujus facti; veluti cum irritatur Matrimonium contractum post uxoricidium; fore, ut tali pœnâ comprehenderetur ille, cum quo sine causa dispensatum esset, non minus, quàm si non habuisset dispensationem, ob eandem rationem.

sententia, et Vasquez.

Cæterum, quando lex solum irritat factum, & non in pœnam peccati, multò majori ratione comprehendit eum, cum quo sine causa dispensatum est: sicut etiam comprehendit ipsum Legislatorem, quem tamen pœnalis lex non comprehendit. Quia pœna, cum sit coactio & vis quædam, tantum potest inferiorem obligare: at verò cum lex irritans, & non in pœnam, sit dispositiva, obligat ipsum Legislatorem, ut toti corpori conveniat & concordet; & ob hanc rationem, si vellet seipsum eximere ab hac lege, non posset; sed eâ semper eodem modo teneretur: multò igitur majori ratione, si eximere velit subditum, dispensatio nullius erit effectus. Hæc ille.

242. Lex irritans actum non in pœnam comprehendit dispensatum sine causa, et eod.

Objicitur etiam ab Adversariis definitio Innoc. IV. de Sent. Excom. c. 7. §. Sanè, in fine: *Vbi superiori competit de excommunicatione cognoscere, absolutio, seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licet forsitan sit injusta: quoniam est contra jus Legislatoris, non tamen contra jus constitutionis absolvit.*

243. Objectio in c. 7. de Sent. Excom.

Respondet Vasquez sup. n. 33. Absolutio à sententia excommunicationis, similis est abrogationi totius legis respectu omnium, quæ etiam valida est sine causa. In dispensatione autem illud est peculiare, ut maneat lex, & unus aut alius ab obligatione illius eximatur, quod quidem obstat, quòd minus sine causa valida sit; quia sine causa nullus excusatur ab obligatione conformandi se ad totum corpus, cujus est membrum. In absoluteione autem ab excommunicatione, quam quis incurrit, hæc ratio locum non habet, ut si concedatur sine causa, valida non sit; quia sententia illum tantum respicit, qui absolvitur, & qui absolvit, non dispensat in lege, ut manifestum est. Sic ille. Unde in textu sup. allato expressè dicitur: *Non tamen contra jus constitutionis absolvit: Sed potius secundum jus.*

Solvitur à Vasquezio,

Quæ etiam est ratio, ut patet ex alibi dictis, propter quam cap. Nuper, de Sent. excom. scriptum sit: *Quia tamen conditor Canonis ejus ratio cap. absolutioem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi. Nunquid etiam dispensandi in sua lege? Nequaquam. Ergò nec bene sequitur: valet absolutio à sententia excommunicationis, concessa à Superiori competente sine causa: ergò etiam valet dispensatio sine causa in propria lege. Quippè absolutio non est contra jus, secus dispensatio.*

244. Eadem est ratio cap. Nuper, de Sent. excom.

Quid tum? reponit quispiam, cum nihilominus lex remanens sit rationalis: etenim adhuc rationale manet, cæteros, v. g. con-

Alia objectio.

Sancti sanguis

Bosco de Matrim. Pars II.



sanguineos aut affines non contrahere Matrimonium: etsi aliqui irrationabiliter eximantur. Quod manifestius est, si singulis imponeretur obligatio per præceptum personale, illud quibuldam non imponendo, aut impositum auferendo.

245.  
Quomodo  
lex remanens  
sit ratio-  
nalis &  
quomodo  
non.

Respondetur: lex remanens, tamen sit rationabilis ex parte objecti, non tamen ex parte formæ, in qua secundum Suarium lib. 1. c. 9. n. 11. cerni debent tres virtutes justitiæ. Prima, est justitia legalis, cujus est bonum commune intendere, & consequenter jura communitati debita servare. Secunda, est justitia commutativa: ad quam spectat, ut legislator non plus præcipiat, quam possit. Tertia, est justitia distributiva, quæ etiam in lege requiritur, quia præcipiendo multitudini, quasi distribuit onus inter partes Reipublicæ in ordine ad bonum ejus, & idèd necesse est, ut in ea distributione servet æqualitatem proportionis, quæ ad justitiam distributivam pertinet, & idèd injusta erit lex, si inæqualiter onera dispenset, etiamsi res præcepta iniqua non sit. Hæc ille.

246.  
Utiq;

Ergo tamen in casu nostro non sit iniquum, quòd alii consanguinei non contrahant Matrimonium: equidem injustum est, ut ipsi magis obligentur per talem legem universalem, quam ii, qui sine causa exempti sunt; & idèd lex, quæ antea erat rationalis seu justa, & justè lata, injustè remanet: quare nulla est; atque adèd illa exemptio non erit dispensatio, sed potius abrogatio legis, si Legislator efficaciter velit eos eximere, id est, velit eos eximere, tamen deberet totam legem abrogare. Sin autem efficaciter nolit legem abrogare, id est, si mavult legem permanere, quam eos eximere ab obligatione, jam constat, dispensationem esse invalidam; quia procedit à simplici tantum complacentia, & non ab efficaci voluntate, quæ tamen necessaria est ad validam dispensationem.

247.  
Disparitas  
inter legem  
& præcep-  
tum perso-  
nale.

Ex quo patet disparitas inter legem & præceptum personale. Siquidem ad præceptum personale sufficit, ut sit justum ex parte objecti, id est, ut id, quod præcipitur à Superiore, justum sit; ad legis autem essentiam requiritur, ut non solum justum sit, sed ut etiam justè præcipiatur, quod deficit in nostro casu, ut sup. ostendimus.

Possunt dari  
aliqui actus  
validi, licet  
injusti.

Fateor, posse dari venditionem validam, licet injustam. Item electionem minus digni, prætermisso digniore, validam fore, tamen sit contra justitiam distributivam. Ergo etiam lex est valida, quæ fertur vel permanet contra justitiam distributivam; neg. Consequentia.

248.  
Quare non  
similiter  
ita.

Disparitas est; quòd de essentia legis sit, ut justa justè præcipiat. Unde definitur essentialiter: *Præceptum commune, justum &c.* At verò electio definitur: *Aliujus personæ, ad Ecclesia vacantis Pastorem dignitatem, Canonica vocatio.* Ostendat nobis aliquis, ubi Canones ad essentiam electionis requirant, ut fiat juxta leges justitiæ distributivæ, & consequenter dicam, electionem aliter factam fore invalidam.

Et consimiliter; venditio non definitur, Pa-

ctio *justa mercis pro pretio*; & emptio, *Pactio justa pretii pro merce*; sed simpliciter: *Pactio mercis pro pretio*, aut, *pretii pro merce*. Et idèd valet, tamen committatur aliqua injustitia.

Dicere autem; non omnis injustitia sufficit ad destruendum valorem legis, ut sup. Suarius, <sup>249.</sup> *An omnis injustitia sufficit ad destruendum valorem legis.* est petere principium; hoc enim est quod quaeritur, & à nobis asseritur sufficere talis injustitia, quæ repugnat bono communi, sive communi observationi ipsius legis; talis autem est, ut patet ex dictis, quæ committitur per dispensationem sine causa, cum, secundum Trid. unicuique aditum aperiat ad leges transgrediendas.

Nec obstat: quòd Deus solà suà voluntate dispensare possit; quia voluntas Dei essentialiter justa est, nec potest esse injusta; unde nihil facit sine justa causa. Deus omnium Dominus est, auctor vitæ & mortis, neque quisquam hominum est, qui possit resistere ejus voluntati, aut ei dicere: cur ita facis? At verò Legislator humanus voluntatem habet obliquabilem, quæ & sæpius obliquatur, & injusta aliquando præcipit, & injustè justa potest præcipere: neque est dominus subditorum, ut sup. diximus ex Suario, sed pastor & rector; ergo nullatenus valet hic argumentum à Deo ad hominem.

Hæc sufficient; ut aliquis possit meritò dicere: Fortè Pontifex nequit validè dispensare sine causa in propria lege, si reverà intendat dispensare in lege propria Matrimonium dirimentem aut prohibentem; quamvis opposita sententia sit communior; puta, Pontificem validè dispensare sine causa in propria lege, si reverà intendat dispensare. <sup>250.</sup> *Fortè Papa invalidè dispensat sine causa in propria lege.*

Dico: *In propria lege*, sive proprio impedimento: quia omnes admittunt, invalidè dispensare in lege naturali aut divina; cum enim sit lex Superioris, non est in libera facultate inferiorum ei derogare: sed solum inquantum expressè, vel præsumptivè illis à Superiore permittitur: non censetur autem Superior consentire, ut quisquam alius sine rationabili causa dispenset; cum talis dispensatio sit peccaminosa, ut patet ex sup. dictis.

Quare, cum votum castitatis obliget de jure divino & naturali ad non contrahendum Matrimonium, ut voti dispensatio valeat, requiritur justa causa, ita ut si absque tali causa dispensaretur in voto solemni, estò validus, equidem illicitus esset contractus Matrimonii. Et similiter, supponendo, posse Pontificem dispensare, ut Matrimonium ratum & non consummatum dissolvatur, indiget justà causà, sine qua nihil faciet.

Sed quid si dispenset sine causa in sponsalibus? Aliqui putant, Pontificem habere potestatem dissolvendi sponsalia, extraordinaria & superadditâ Christi commissione; & idèd dispensationem non valere, nisi ex rationabili causa spirituali, cedente in ædificationem animarum, procedat: v.g. si timeatur, priorem sponsam futuram sponso occasionem peccandi, aut si ex Matrimonio cum posteriori speretur pax publica. <sup>251.</sup> *An valet dispensatio sine causa in sponsalibus. Aliqui negant.*

Nihil.



An potestas in eis dispensandi sit ordinaria, ex Dicast.

Nihilominus (inquit Dicast. sup. disp. 8. n. 7.) salvo meliori iudicio, ego putarem in sponsalibus non extraordinariâ, sed ordinariâ potestate posse dispensare. Neque enim est eadem ratio de Matrimonio rato, atque de sponsalibus. Nam Matrimonium ratum est naturâ suâ indissolubile, & etiam jure divinô, ut non sit in potestate humana, etiam contrahentium, Matrimonium dissolvere; contractus verò sponsaliti- us est contractus tum merè humanus, tum non elevatus ad rationem Sacramenti, nec factus speciali quâdam lege aut declaratione per- petuus à Deo. Cùm ergò sit contractus non ex- cedens spheram activitatis ( ut sic dicam) hu- mani Principis ac Superioris, contractusque ex se dissolubilis sit, non video cur potestas illum rescindendi revocanda sit ad extraordinariam quamdam concessionem Dei Pontifici factam. Sic ille.

252. Etsi juret ordinaria, equidem in- valide exer- cetur sine causa, ex eod.

Sed nunquid, quia hæc potestas ordinaria, idèò validè exercetur sine justa causa? Negat idem Auctòr sup. n. 84. ex eo, quòd obligatio sponsalitia non oriatur ex potestate Legislativa Superioris; sed oriatur ex jure justitiæ, ex natura rei adquisito ab altera parte, quæ non potest spoliari eo jure nisi ex justâ causâ, aut ex mutua voluntate contrahentium; nec censetur data legitima potestas Superiori, ad tollendum jus justitiæ adquisitum, nisi subsistente justâ causâ. Ita Dicastillo.

Consentit Auctòr.

Et ego. Quippè sponsalia habent suam vim, non à voluntate Pontificis; sed à voluntate contrahentium; & idèò solâ voluntate Pontificis nequeunt dissolvi; at verò lex propria totam suam vim habet à voluntate Pontificis; imò formaliter nihil aliud est, quàm voluntas Pontificis; & idèò, eâ cessante, necessariò cessat ipsa lex.

253. Eadem hic est ratio Pa- pe & Episcopi.

Porro quòd jam dictum est de Pontifice respectu legis naturalis aut divinæ, idem dicendum est de Episcopo, & aliis, qui in certis casibus possunt dispensare in lege Pontificia, scilicet dispensationem sine causa non subsistere; quia ea lex non habet suam vim à voluntate Episcopi, sed Pontificis: adeoque non est dispensatio in propria voluntate, sed in voluntate aliena; ac proindè nequit fieri absque consensu alienæ voluntatis, qui tunc non intervenit.

Aliqui existi- mant, Episcopum non posse validè dis- pensare sine causa in propria lege, estò Papa possit.

Quinimò Aliqui apud Sanchez lib. 8. disp. 17. n. 26. putant, Episcopum non posse validè dispensare sine causa in propria lege, estò Pontifex possit. Quippè quàmvis ab Episcopi voluntate pendeat, vim habere statutum illud, atque adeò possit illud omninò cassare: tunc enim suâ potestate ordinariâ utitur; nec in aliquò jus commune offendit. At vim habente statuto, dispensare cum aliquo absque justa causa, est contra jus commune, cap. Cùm omnes, de Constit. At dispensatio inferioris in jure communi absque causa est irrita.

254. Oppositum docet Sanchez.

Cæterum (inquit Sanchez sup. n. 27.) absque dubio tenendum est, esse validam. Ducor: quòd eadem militet ratio, quæ in Pontifice respectu suarum legum: tunc enim non dispensat in vo-

Bosco de Matrim. Pars II.

luntate aliena; sed in propria, à qua sola vim habent illæ leges: Neque obstat ratio contraria: quia etsi peccet Episcopus contra jus divinum, imò & divinum naturale, dictans, neminem à lege generali esse sine causa eximendum: at dispensatio illa tenet. Quia tunc non dispensat inferior in eo jure naturali, aut Pontificio; sed solum illud violat. Hæc ille.

Limitatio.

Quæ tamen temperat n. 29. nisi constitutio illa Episcopi transierit in contractum, in commodum alterius. Ut si fieret statutum, ut omnes ad urbem confluentes gauderent aliquo privilegio, non posset revocare respectu eorum, qui jam venerant. Quòd jus ex illo contractu jam sit illis acquisitum. Sed quàmvis hæc limitatio sit regulariter vera: negandum tamen non est, posse Episcopum ex legitima causa supervenienti contravenire. Ita Sanchez. Et verè.

255.

Quæro autem ego; quomodo ergò verum est, quòd alio loco ait, ut sup. audivimus: jus acquisitum tertio nullus, præter supremum Principem, auferre potest? Nam in hoc casu jus fuit acquisitum tertio, & tamen Episcopus ex legitima causa supervenienti potest illud jus auferre. Quare ergo non similiter jus acquisitum per sponsalia? Expectabo disparitatem.

Quod potest Papa in lege propria, etiam facit in lege prædecessoris, & inferioris, ex Sanchez.

Interim dico: eâ ratione quâ Pontifex & Episcopus dispensant in lege propria, etiam valent dispensare in lege prædecessoris aut inferioris. Quia (inquit Sanchez sup. n. 28.) in voluntate Superioris est quasi eminenter inferioris voluntas: & successor æqualis reputatur quasi eadem persona, ratione ejusdem officii. Sic ille.

256.

Quem intelligo cum hac distinctione, quam invent apud Suarium lib. 6. de Leg. cap. 19. n. 20. Si (inquit ille) tantum sit potestas superior quasi remota, quia videlicet solum in gradu appellationis, vel supplicationis, aut alterius similis recursus, potest versari circa subditos inferioris Prælati, tunc certè dispensatio non valebit, data sine justa causa; quia tunc nulla est ratio recurrendi ad talem Superiorem, & consequenter neque illius jurisdictio ibi locum habet. Et ita dispensatio data ab Archiepiscopo in lege Episcopi sine causa, nulla erit.

Distinctio circa hoc Suarj. Prima pars.

Secunda.

At verò, si potestas superior se extendat immediatè ad regimen subditi per modum causæ universalioris, etiam immediatè, tunc valida erit talis dispensatio Papæ in lege Episcopi, & dispensatio Generalis in præcepto Provincialis, & sic de similibus. Quia licet Superior propriè non mutet voluntatem inferioris, potest mutare seu tollere effectum ejus per jurisdictionem superiorem, quæ de se non pendet ab inferiori. Sicut etiam potest talis Prælati superior reservare sibi immediatum regimen talis subditi. Quòd semper intelligendum est, nisi ejus potestas per aliquam legem limitata sit, & tunc solum valebit dispensatio juxta gradum & modum concessæ potestatis. Hucusque Suarez.

Omitto alias multas difficultates, quæ circa dispensationem ab Aliquibus hic moventur;



quia ad hunc tractatum non pertinent; sed in tract. de Legib. solent examinari, & alibi per occasionem de ipsis disputavimus. Tantum breviter indicabo causas, propter quas justè dispensatur in impedimentis Matrimonij, ex Averſa sup. sect. 4. §. *tam quia*, & sequentibus.

*Aliqua causa redditum dispensationem tantum licitam, aliam etiam debitam, ex Averſa.*

Causæ (inquit ille) ad dispensandum in Matrimonij impedimentis, possunt esse multæ & variæ: possunt esse quædam, quæ solum reddant dispensationem justam & licitam, sed non debitam: id est, ob quas potest Pontifex prudenter dispensare, si velit, non autem teneatur. Et possunt esse aliquæ, quæ inducant etiam obligationem & debitum dispensandi, vel ex charitate, vel etiam ex justitiâ: utpotè ad subveniendum magnæ indigentia alicujus, vel ad evitanda magna damna & scandala. Quod totum prudenti arbitrio discernendum est.

258.

*Aliqua sufficienti pro uno impedimento, & non pro alio.*

Item possunt esse quædam causæ, quæ sufficiant quidem ad dispensandum in aliquo impedimento leviori; non autem in alio arctiori: utpotè pleræque causæ sufficiunt ad dispensandum in voto simplici castitatis, & religionis; non autem in voto Professionis solemnæ, aut instituto Ordinis Sacri. Et similiter pleræque sufficiunt ad dispensandum in remotioribus quibusdam gradibus; non autem in aliis arctioribus. Quod totum ita in praxi ipsa, & consuetis expeditionibus observatur. Nec tamen oportet, ut semper dispensatio per se ac directè ob bonum publicum concedatur: sed bene etiam potest, & frequenter solet concedi per se ac directè ob privatum commodum talium personarum; quod ipsum saltem remotè, & indirectè censetur etiam redundare in bonum publicum.

259.

*prima causa dispensandi bonum pacis.*

Regulariter verò hæc causarum genera in his dispensationibus solent attendi. Primò; Bonum pacis: sæpè enim per connubia junguntur quodque pacis fœdera, non solum inter certas personas; sed etiam inter familias & communitates & regna. Et sub pacis bono intelligitur non solum extinctio inimicitiarum, & rixarum capitalium, sed etiam litium civilium, aliarumque discordiarum. Itemque præventio, ne orientur, & ne subsequantur homicidia, rapinæ, infamia, aliæque damna & scandala: quia ad pacem civium, & rectam gubernationem, spectat hæc evitare. Et per scandala intelliguntur peccatorum pericula, etiam incontinentiæ, & fornicationis, & similia.

260.

*Secunda causa, angustia loci.*

Secundò; Angustia loci: quando scilicet in tali oppido non invenitur alia persona cœqualis & competens ad Matrimonium ineundum, nisi ex personis conjunctis, & ideò expedit dispensare. Censeturque hæc causa sufficere; etiam si alioqui in aliis oppidis convicinis inveniantur personæ cœquales: quia non debent cogi, præsertim fœminæ, ad conquirendos conjuges extrâ suam patriam, & egrediendum in aliam patriam, deserendo suos propinquos & notos, cum illorum etiam amaritudine. Item: censetur sufficere, etiam si non fiat exacta perquisitio & diligentia in proprio oppido, ad inveniendam personam cœqualem: sed satis est, si non

commodè & moraliter inveniat, aut sit major pars concivium consanguinitate vel affinitate contingat personam, cupientem nubere, ut non ita facîle præter eos inveniat personam parem, & sibi suisque gratam.

Tertiò; Inopia personæ, præsertim defectus dotis competentis in fœmina, quando inter conjunctos paratus est aliquis eam dotare, vel absque dote competenti accipere. Et censetur fœmina pauper ac dote deficiens, quando non habet tantam, quanta requiritur & consueta est, ut nubat pari: etiam si habeat parentes divites, quos tamen cogere non possit ad competenter dotandum; vel qui non possunt se in vita sua tantâ bonorum parte privare, quanta requiritur ad competentem dotem filia tribuendam. Item; etiam si habeat fratres aut alios propinquos divites, à quibus sperat augendam sibi dotem: quia non per hanc spem delinit in statu præsentis esse pauper. Rursus; etiam si habuerat antea magnam facultatem, sed ei cesserat: dummodò tamen hoc non fecerit in fraudem, ad finem obtinendi, titulo paupertatis, dispensationem impedimenti. Si, inquam, habuerat: quia si nondum habuisset, sed fuisset solum instituta hæres, aut legataria, & noluit acceptare & acquirere talem facultatem, animo sibi providendi per impetrationem dispensationis, id non obstaret, quò minus habeat justam causam impetrandi ob paupertatem.

261.

*Tertia causa, inopia personæ.*

Quartò; Conservatio successionis sive hereditatis, & splendoris in eadem familia; utpotè, quando fœmina remanet hæres, ne transferat possessionem in extraneos, sed retineat inter consanguineos. Quâ ratione & in antiqua lege disponebatur, ut fœmina hæres in eadem sua cognatione nuberet. Item: acquisitio novæ hereditatis: utpotè quando quis eam reliquisset sub conditione; si talis cum tali nuberet, aliove simili modo.

262.

*Quarta causa, conservatio successionis.*

Quintò; Recognitio insignium personarum, & remuneratio meritum: quando nempe personæ insignes, & bene merita, talem dispensationem cuperent & peterent.

*Quinta causa, recognitio &c.*

Sextò; Instauratio Matrimonij bonâ fide contracti. Et quidem ad hoc sufficit, si una pars sola sic bonâ fide contraxisset, & postea, detecto impedimento, ipsamet peteret dispensationem; quia ejus interest Matrimonium instaurari, quàmvis altera pars, quæ malâ fide contraxisset, digna non esset, quantum ad se, benignitatem Ecclesiæ experiri; sed in gratiam & favorem partis innocentis, ejusdem beneficii particeps erit.

263.

*Sexta, instauratio Matr.*

Septimò; Reparatio honoris fœminæ, quæ fornicariè cognita redintegratur per Matrimonium cum viro, qui eam violavit. Itemque legitimitas & bona educatio prolis, ex fornicatione susceptæ.

*Septima reparatio honoris.*

Octavò; sufficit etiam interdum pro causa, aliqua impositio, quæ de novo fit iis, qui dispensationem petunt: utpotè interveniendi alicui pio operi, subministrandi majorem pecuniæ summam, & similia. Ubi interdum aliqui exponunt, se

264.

*Octava impositio alicujus Summe pecunie.*

se



se dispensationem petere absque causa, id est, absque ulla ex dictis causis antecedenter interveniente. Sed tamen in expeditione ipsa affigitur talis causa: quia obligare quempiam, ad faciendum tale pium opus, vel erogandam tantam pecuniæ summam, est sufficiens causa ad dispensandum, dum aliqui impedimentum non erat ex strictioribus. Interdum etiam juvant, & sufficiunt plures causæ simul, quæ singulæ per se fortasse non sufficerent. Et præsertim solet semper in dispensationibus exigere aliqua compositio pecuniæ, vel præstitio alicujus pii operis, ut in praxi compertum est. Hucusque Averfa. Satis compendiosè & nervosè. Qui diffusiore tractatum de his causis desiderat, adeat Sanchium lib. 8. disp. 19.

165. Explicatur prima causa.

Nota autem pro explicatione primæ causæ, quod legitur cap. 2. de Novi oper. nunt. Licet opera illa, quæ sine mortali peccato committi non possunt, non sint pro vitando scandalo dimittenda, nec ea debeant pro scandalo vitando committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt: ab his tamen, quæ sine mortali peccato committi possunt, pariter & dimitti, sit pro scandalo tollendo cessandum, & eis etiam pro vitando scandalo insistentium.

Pro scandalo vitando non debet quis mortaliter peccare.

Ubi Gloss. verb. Pro vitando scandalo dimittenda, inquit: Nota, quod pro aliquo scandalo vitando, non debet quis mortale peccatum committere: quia utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur inf. de Reg. juris: Qui scandalizaverit. Alias, si aliqua possint fieri, vel omitti sine mortali, detrahendum est juri.

266. Aliquando jure relaxatur propter scandalum.

Et verb. Pro scandalo tollendo, ait: Propter quod detrahendum est quandoq; severitati, 50. Distinct. Ut constitueretur, & jus relaxatur propter scandalum sive multitudinem, sup. de Temp. Ordin. c. 2. & propter scandalum etiam Matrimonium impeditur, sup. de Sponsal. Cum in tua.

Quid ni ergo propter scandalum vitandum possit Matrimonium concedi, quod aliàs foret prohibitum, imò & irritum? Sanè valdè interest boni communis, scandala vitari. In dispensationibus autem Matrimonialibus, bonum commune præcipuè attendendum est, ne quod pro bono communi institutum est, contrà illud militare incipiat.

267. Explicatur secunda causa. Declar. Card. pro ea.

Quantum ad 2. causam: Congr. Card. ad instantiam Archiepiscopi Mediolan. die 18. Novemb. anno 1570. declaravit, quod sequitur: Clausula illa, quæ dispensationibus, occasione dotis incompetentis, apponi solet, videlicet: Quia virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis invenire nequit, verificatur & justificatur per diligentiam dumtaxat præstitam in ipso loco mulieris, & non in locis circumvicinis.

Profectò durissimum est, cogi foeminam extrà proprium oppidum nubere, ut sic patris & matris, & consanguineorum consortio destituta, acerbam ac solitariam vitam transigat.

268. Quid intelligatur per oppidum, ex Gobatio.

Rogas: quid hic intelligatur per oppidum? Quamvis (inquit Gobat sup. cal. 23. n. 648.) Navar. Sanchez, Reginal. Wiggers ac Tannerus loquantur de civitate, urbe, vel loco insigni aut famoso, oppidove majore; ego tamen per

oppidum intelligo, etiam in hac materia, pagum: etenim Hurtadus, Palaus, Coninck, Diana, Filliuc. absolutè dicunt: Si non reperiant in loco sui domicilii: & Breve Innoc. (quod sup. habes) exprimit absolutè angustiam loci.

Probat intelligi etiam pagum.

Ratio vero est; quia etiam multis mulieribus, educatis in parvis oppidis, aut pagis, est perquam difficile, deserere suos & sua. Et nobiles Imperii, ut vocant, adeoque Nobiles Suevi, Alsatæ, Francones, plerique omnes domicilia habent, non in oppidis, aut urbibus, sed in pagis; & tamen per frequenter postulant, impetrantque gratiam, de qua nunc differimus. Sic ille.

Sed nunquid quæ foeminæ, eadem est ratio viri? Sanchez & Alii de sola foemina loquuntur: sicut & Congreg. Card. sup. allegata. Et ratio esse potest: quia non est masculis tam difficile, deserere patrios lares, quam foeminis; imò non tenentur sequi uxores, sed hæ ipsos. Nihilominus Averfa sup. & alii generaliter loquuntur.

269. An sit hic eadem ratio viri & foemina.

Miror equidem (inquit Gobat sup. n. 647.) nullum ex tot Doctoribus (quos ibi enumeraverat) disertè, reflexè, seu in actu signato quærere, aut exprimere, utrùm angustia loci locum habeat aliquando, etiam respectu viri; cum sit certum ex verbis Congregat. sup. cit. quod habeat communiter respectu foeminæ: habere etiam, & sæpè quidem, respectu viri, doceat apertissimè Hurtadus, atque Dicastillo, & satis clarè Coninck, favente Brevis Innoc. X. At habere semper respectu solius foeminæ, nemo, quem legerim, exprimit: ergò quia certum est, fieri quandoque, ut etiam masculi non reperiant in suo oppido uxores paris conditionis, nisi junctas sanguine vel affinitate; extrà autem, non nisi unam alteramve, quæ tamen nolint iis nubere, nisi ipsi velint se integrè transferre in earum oppidum, arcem &c. idè ego adhærens verbis horum trium posteriorum Doctorum, & Brevis Pontificii, existimo, posse angustiam loci quandoque extendi etiam ad sponso; sed velim, examinent doctiores me, hanc doctrinam hætenus non ventilatam. Ita Gobatius.

Multi affirmant d. causam, etiam respectu viri, sæpè habere locum. Gobat.

Hurtad. Dicast. Coninck.

Ego, quamvis non existimem me ipso doctiorem, tamen hanc doctrinam examinavi; & si ratione solà agatur, consentio Gobatio in circumstantiis ab ipso propositis. Potest quippè tam durum esse viro, relinquere proprium oppidum, quam foeminæ; & aliunde cum Matrimonia debeant esse libera, & multas conditiones exigant, ut convenientia & paria judicentur, expedit valde, ne foemina, vel vir ad unum vel alterum conjugium arctetur; sed sunt varia, ex quibus ei detur optio.

270. Iudicium Auctoris.

Quantum ad doctrinam istorum Auctorum: Breve Innoc. solum loquitur in generalibus terminis, dicens: Nec non cum aliis quibuscumq; similibus gradibus conjunctis vel se attinentibus, qui propter angustiam loci, aut ad sedandas inimicitias &c.

Expenditur Breve Innoc. nec.

Coninck autem disp. 33. n. 46. sic ait: Secunda

271.



Quid Coniunct sentiat.

cunda (causa) est, quando aliqua nobiles vel principales personae, sive quae ex honorabilioribus sunt sui oppidi, nisi ineam Matrimonium cum affinis, vel consanguineis, non possunt nisi cum gravi incommodo, magnisque difficultatibus dignas suo statui nuptias inire. Ecce resolutio generalis. Sed continuo adjungit. Talis autem difficultas, juxta Sanchium sup. n. 13. est, si foemina aliàs cogereur nubere in alia civitate, atque ita perpetuo abstrahi à suis parentibus, quod ei durum esset. Igitur non satis clare Reginus debet hanc sententiam.

Doctrina Dicast.

Clarissus loquitur Dicastillo sup. n. 88. ibi: Secunda causa est, quando quis non nisi satis difficile & magno suo incommodo invenire potest nuptias sibi dignas, nisi cum cognata, aut alià ratione habente impedimentum, cujus petitur dispensatio, ut ipsi nubat; ut cum quis nequit aliam in proprio oppido invenire. Sic ille. Ubi expressè loquitur de viro; fortè tamen finè aliqua reflexione ad hanc difficultatem.

272. Facilius potest dispensari cum muliere, quam viro.

Mihi certum est, virum facilius posse invenire nuptias in alieno oppido, quam mulierem, & ideo frequentius posse dispensari ob hanc causam cum muliere, quam cum viro: si tamen absolute aequè incommodum esset viro, quam mulieri, nubere extra proprium oppidum, non video, quare minus cum ipso, quam cum muliere, ob hanc causam possit dispensari.

An debeat admitti limitatio ad personas nobiles.

Sed nunquid admittenda limitatio Coniuncti sup. ad personas nobiles vel principales? Apud nullum alium Auctorem invenio eam; fortè ideo sic locutus fuit Reginus, quia frequentius contingit, ut tales personae non possint aliàs commodè nubere.

273. Ex quibus dijudicandum sit Matrimonium aequale?

Si autem à me quaeritur; ex quibus dijudicandum sit Matrimonium aequale? Respondeo cum Sanchio sup. n. 15. Non sola generis ac divitiarum aequalitas spectanda sunt; sed etiam mores viri, juxta l. Nuptia. C. de Nuptiis, ibi: Et si parès sint genere & moribus. Et addo (inquit hic Auctor) rationem etiam habendam, ne dispar sit valde aetas, vel vir ex alio Matrimonio filios habeat, vel asperi ingenii sit. Hæc enim omnia disparitatem in Matrimonio constituunt. Et quò foemina durioris atque minus tolerabilis ingenii est, eò vir mitioris ac tolerantioris necessarius est illi, ut bene convenire possint. Ita Sanchez. Et Alii communiter.

Expenditur 3. causas. Quia sit hic competens dos.

Circà tertiam causam, scilicet inopiam, notat Sanchez sup. n. 17. eam dotem fore competentem, quæ sufficit, ut foemina nubat viro æquali, quamvis sit minus sufficiens respectu viri, eam ducere volentis; estò etiam foret parentibus orbata. Quod (inquit) nulla pietatis causa tunc versetur, quæ concurrere debet, ut dispensatio licita sit. Cum enim foemina illa dotem viro æquali habeat, potest, simili viro electo, cavere omnia pericula, quibus defectu parentum exposita est. Nec Ecclesia ei faveret, ut virum conditione aut divitiis imparem quaerat.

274. Quid si mulier sit

Præterea: quia id ad solum patrimonij augmentum spectat; quod non est causa sufficiens. Quia cum mulier illa dives sit, nulla in hoc

pietatis ratio invenitur, neque redundat in majus bonum spirituale, ut contingit, quando mulier est pauper. Non enim dispensatur tunc ob temporale ipsius bonum, sed ob spirituale; ne cum animæ periculo innumpta maneat. Quæ ratio cessat in muliere divite.

Non solum in spe, sed etiam in re.

Divite, inquam, non solum in spe, sed etiam in re, absque periculo per litem, aut alià ratione, notabilem partem divitiarum amittendi. Alioquin merito nomine pauperis veniret. Nisi fortè bonis suis renuntiasset eo animo, ut paupertatis titulo dispensationem obtineret. Nam Sanchez sup. n. 26. existimat, eam dispensationem fore invalidam: quia (inquit) allegatur Pontifici ea paupertas, ut causa dispensationis legitima, quæ tantum abest, ut causa dispensationis sit, ut potius retraheret ipsum à dispensatione concedendâ, quò iis fraudibus obviatur.

Quid si renuntiaverit bonis suis in fraudem? Non valet dispensatio, ex Sanchez.

Si dixeris: licita est bonorum renuntiatio, ut renuntians admittatur ad Collegium, solis pauperibus à fundatore destinatum. Cum tamen id cedat in detrimentum verorum pauperum, quibus id Collegium institutum est: Ergò à fortiori verum habebit in nostro casu, qui in nullius damnus vergit.

275. Objectio.

Respondet Sanchez sup. non esse simile: quippè is finis est optimus, cum in eo Collegio commodius, ac majori studio vacetur litteris, & educatio studiosior sit. Adde: usum sic interpretatum esse testatoris fundantis voluntatem. At in nostro casu deficit finis studiosus, & renuntiatio fit animo eximendi se à lege, contra sacrorum Canonum mentem. Nec consuetudo explicuit, mentem Pontificum esse, concedere dispensationem ob hanc affectatam paupertatem gratiâ illius extorquendæ.

Solvitur ex eod.

Si tamen (inquit ibidem Sanchez) renuntiatio non ad eum finem facta fuisset, sed ad alium quemcumque, etiam inhonestum; si verè fuit facta, absque pacto expresso vel tacito retrodonandi, quamvis certâ fiducia conceptâ, fore ut is, in quem renuntiatio facta est, reddat ex sua liberalitate postea bona renuntianti, valida erit dispensatio, allegando paupertatem, tacitâque renuntiatione, undè orta est. Quia ea foemina verè pauper est, ac dote caret, nullamque, ut obtineret dispensationem, fraudem admisit. Nec ea fiducia constituit eam devitem, utpotè quæ soli alterius voluntati innititur. Adde: valituram eam dispensationem, quamvis hæc dotem in usus turpibus consumpsisset. Sic ille.

276. Quid si renuntiatio fuerit facta ad alium fidem? Valet dispensatio, juxta eundem.

Sed nunquid etiam verè pauper est, quando renuntiat in fraudem? Nonne etiam tali casu pietas locum habet, & dispensatio fieret ob bonum spirituale, ne cum animæ periculo innumpta maneat? Neque enim per hoc, quò non dispensetur, fiet ditior. Cur ergò non valeat dispensatio?

277. Quidam etiam valent, quando facta fuit in fraudem?

Nonne extat aliqua lex, vel declaratio Cardinalium, quâ statuitur aut declaratur talis dispensatio invalida? Nonne disputatur, an peregrinus exemptus sit à reservatione proprii Episcopi, quando id fit in fraudem? Similiter, an possit



possit validè contrahere Matrimonium sine Parrocho, in loco ubi Concil. Trident. non est receptum? Hæc cogita. Et mecum transi ad majorem difficultatem.

278. *Quid si foemina instituitur hæres post impetratam dispensationem.*  
Foemina verè carebat dote, quando dispensatio impetrata est ratione dotis incompetentis: at antequam expediretur per Ordinarium, est instituta hæres aut legataria maximæ quantitatis, quæritur; an tunc possit hæreditatem hanc aut legatum repudiare, ne eâ effecta dives frustretur dispensationis valore, quasi cessante causâ.

Potest, secundum Sanchez, renuntiare ei. Probat.  
Respondet Sanchez sup. n. 27. integrum esse in utroque foro huic foeminae, renuntiare illi hæreditati, vel legato, antequam tacite vel expressè acceptet; etiam antequam mittat Romanam pro dispensatione obtinenda. Ducor, inquit, quòd jura concedant prædictam renuntiationem hæreditatis vel legati, censeantque, id non esse proprium patrimonio minui, sed tantum non acquirere; arg. l. Qui autem, 6. ff. Quæ in frau. cred. vers. Proinde, ibi: Proinde & qui repudiavit hæreditatem, vel legitimam, vel honorariam, vel testamentariam, non est in ea causa, ut huic edicto locum faciat. Nolumus enim acquirere, non suum proprium patrimonium diminueri.

279. *Confirmatur.*  
Et ratio est; quòd jus hæreditatem adeundi, antequam ea acceptetur, non fit in bonis nostris, arg. l. Previa rerum, 63. ff. Ad leg. Falcid. ibi: Est enim absurdum, ipsum me hæredem institutum non esse locupletiore, antequam adeam. Vbi Gloss. verb. Ipsum, inquit: Quasi diceret: istud est dicere, me institutum non esse locupletem, antequam adeam.

Et quàmvis legatum, consistens in specie, transeat à morte testatoris in legatarii dominium, nec ad id expectetur aditio hæreditatis; meritò tamen idem disponitur d. l. Qui autem, vers. Sed & illud, in legato repudiato per debitorem: Sed & illud probandum est, si legatum repudiavit, cessare hoc edictum. Quòd Iulianus quoque scribit.

280. *Pterior probatio.*  
Et ratio est; quia quàmvis legatarius factus sit jam dominus illius legati, & ita videatur ea repudiatio diminutio proprii patrimonii & alienatio: reverè tamen talis non est; quia acquiritur dominium legati imperfectè & revocabiliter antè acceptationem, & sub tacita conditione, nisi repudietur: unde cum postea repudiatur, fingitur non esse quæsitum dominium, arg. l. 1. ff. Si quid in fraud. patro. vers. Vtrum autem, ibi: Quàmvis enim legatum retro nostrum sit, nisi repudietur: arctamen cum repudiatur, retro nostrum non fuisse, palam est.

Ergò (infert Sanchez sup.) potest in utroque foro hæc foemina jure illo sibi per leges concessio uti, ne acquisitio illa noxia sibi sit.

281. *Obiectio. Solutio.*  
Si dixeris: non licet in foro conscientia illa renuntiatio in fraudem creditorum. Respondet Sanchez disparitatem esse; quòd lex justitiæ, quæ creditoribus debitor tenetur, obligat ad acquiendum, quando aliàs non est solvendo. At in nostro casu nulla est alia lex, ad acquiendum obligans, nec fraus Pontifici fit; non enim te-

netur hæc divitias in suum damnum acquirere.

Fateor: sed ubi est lex, quæ obligat ad non alienanda bona jam habita, sive non minuendum patrimonium? Nunquid teneor divitias conservare in meum damnum? Quare ergò potius in uno casu fit fraus Pontifici, quàm in alio? Iterum dico: Tu cogita.

Hoc verè dixit Sanchez sup. in fine: Non tamen potent uti dispensatione, si nolit renuntiare nec acceptare. Quippè verè non est pauper, utpotè, quæ adhuc jus ad rem, acquisitum per testatoris mortem, retinet.

Sed quid si ignoraverit jus istud, utpote inficia suæ institutionis? Si Matrimonium iniit, valet, secundum Sanchez sup. n. 28. & potest nihilominus eam acceptare. Quia, inquit, vera paupertas allegata est Pontifici, cum nondum hæc acceptasset, & inficia fuerit hujus juris ad rem: & hanc piè credendum est, esse Pontificis mentem, ne dispensationes & Matrimonia periculo exponantur: & cessatio causæ, postquam effectus illius consummatus est, nihil obest.

Quid ergò, si Matrimonium nondum foret contractum? Poteritne suam institutionem acceptare, & nihilominus contrahere? Jam enim cessat causa, antequam effectus illius consummatus sit: Cessante autem causâ, cessat effectus, cap. 60. de Appel. Ergò cessat dispensatio, cuius unica causa finalis erat, ut suppono, incompetentia dotis, seu paupertas, ergò non valet Matrimonium, vi ejus ininitum. Ita sentit Sanchez lib. 8. disp. 30. n. 14. cum Aliis, quos citat.

Probat autem per diversa jura, ex quibus, inquit, constat, revocari gratiam & privilegium, cessante causâ. Sed respondet Salas de Leg. disp. 20. sect. 6. §. Ex his patet: Inde non colligitur, esse nullam dispensationem, sed annullandam.

Suarez verò lib. 8. de Leg. c. 30. ostendit illa jura non convincere, nisi in certis circumstantiis; in primis, quando expressè cum tali conditione privilegium aut dispensatio conceditur, v. g. in cap. Abbate, 25. de Verb. signif. in fine, ibi: Ita videlicet, ut tandem Monasterium ipsum hæc honoris debeat prerogativâ gaudere, donec ibidem vigerit observantia regularis.

Ubi (inquit Suarez sup. n. 16.) clarè ponitur causa illa, seu circumstantia, ut necessaria ad conservationem privilegii; & redditur optima causa, in qua explicatur, illum terminum designari, ut possit esse licitus usus privilegii, scilicet: *Ut idonea persona inveniantur in illo, qui possint in Abbatem assumi.* Tunc ergò duratio causæ est veluti conditio requisita, ut duret privilegium. Et idem foret dicendum de dispensatione, quæ similibus verbis concederetur, quod patet ordinariè non fieri in dispensationibus Matrimonialibus, de quibus hic tractamus.

Contingit etiam aliquando, ut causa privilegii cesset contrariè, id est, ut usus privilegii seu dispensationis fiat malus & illicitus, etiam posita dispensatione seu privilegio, & tunc pariter cessare privilegium seu dispensationem, admittit

282. *Quid si nolit renuntiare, nec acceptare.*

283. *Quid si institutionem suam ignoraverit? Sed Matr. iniit, valet, ex Sanchez.*

284. *Quid si nondum foret contractum? Non valet, ex cod.*

Probatio rejicitur à Salas.

Et ex Sumario.

285. *Quando cesset privilegium, cessante causâ.*  
Suarez



Suaris sup. n. 6. v. g. si Monasterio applicata esset aliqua pars decimarum alicujus Ecclesie, quia tempore concessionis ex reliquo poterat Ecclesia sufficienter sustentari & provideri; postea vero, mutatis rebus, non possit sustentari, si in tota illa parte decimarum defraudetur, tunc cessat causa privilegii, & consequenter cessat privilegium.

Declaratur  
cessat  
quanto usus  
est illicitus.

Et ratio est: quia privilegium de re illicita nullum est; ergo privilegium, cujus usus factus est illicitus, factum est nullum; quia quoad hoc eadem est ratio de conservatione, quae de inceptioe, quia neutro modo potest dari licentia, ad illicitum perpetrandum. Sicque habet hic locum principium juris, quod pervenit ad statum in quo incipere non posset, in eo remanere non potest; l. *Vranus* 71. ff. de Fidejuss. ibi: *Ut, quemadmodum incipere alias non possunt, ita nec remaneant.* Ubi Gloss. verb. *Remaneant*, inquit: *Quod ergo impedit faciendum, destruit jam factum.*

286.  
Expenditur  
Gloss. in l.  
8. ff. de  
His qui sui  
sunt.

Et l. *Patre*, 8. ff. de His qui sui &c. Gloss. verb. *Retinere*, sic ait: *Quandoque causa impediens respicit causam finalem, & tunc, sicut impedit a principio faciendum, ita impedit jam factum; quandoque respicit causam efficientem, ut consensum, qui est causa efficiens Matrimonium, & licet ab initio aliquid impediatur faciendum, non tamen tollitur jam factum.* Quod Suarez sup. intelligit de impedimento contrario; & tunc destrui quod factum est, quatenus est principium actus futuri & faciendi, in quo tale impedimentum invenitur.

Suarez.

287.  
Probat ex  
Sanchez.  
c. sane  
paterne  
in casu no-  
stro, cessare  
dispensatio-  
nem.

Sed nunquid res ita se habet in nostro casu? Audite Sanchium sup. *Lege*, *Ex facto*, in princip. ff. de *Vulgari*, deciditur, privilegium patri concessum substituendi filio furioso, cessare, filio sanæ mentis effecto, & evanescere substitutionem, illi antea factam: cum tamen privilegium id jam esset ad effectum deductum, quia is revocabilis erat. Et reddit textus rationem his verbis: *Etenim iniquum incipit fieri beneficium Principis, si adhuc id valere dicamus; auferet enim testamenti factionem homini sanæ mentis.* Sic ergo in nostro casu, cum cessante causa, incipiat iniqua esse dispensatio, utpote quæ absque ulla ratione ex tunc eximit privatum à jure communi, vel naturali divino, in præjudicium communitatis, cui id scandalo est: cessabit ex tunc quoad effectum, qui commodè revocabilis est.

288.  
Confirmatur.

Et confirmatur amplius: quia paria sunt, nullam ab initio fuisse causam, & fuisse aliquam, sed illam omnino finitam esse, ut expressè probatur ex l. 1. ff. de *Condict. sine causa*, ibi: *Sive ab initio sine causa promissum est, sive fuit causa promittendi, quæ finita est, vel secuta non est; dicendum est, conditioni locum fore.* At quando à principio nulla esset causa, dispensatio irrita esset, vel illicita. Ergo eodem vitio afficietur, si, cessante postea causa, permaneat. Non enim est credendum, velle dispensantem peccare, intendendo, ut dispensatio vim habeat in eo casu, in quo dispensatio irrita esset aut illicita. Ita Sanchez.

Ad idem

Et addit argumentum ab absurdo dicens:

Ab absurdum videtur, ut is, cum quo est legitime dispensatum ad carniem esum, ratione debilitatis dubiæ, & quæ ex se non excusabat, seclusâ dispensatione, possit eis vesci, si integram, etsi miraculosè, valetudinem recuperat.

289.  
Sed hæc  
arg. non  
convincunt.

Sed hæc, & similia argumenta plura, quæ Sanchez sup. adducit pro sua sententia, non convincunt, sive non ita concludunt, quin solvi possint, ut ipsemet fatetur sup. n. 13. in fine. Atque adeò, qui docent Matrimonium valere in casu proposito, damnari non possunt, cum & ipsi habeant suas rationes non contemnendas, tametsi etiam non convincant.

Principalis  
ratio opposi-  
ta sententiæ,  
ex Suarez.

Principalis autem ratio est: quia (inquit Suarius lib. 6. de Leg. c. 20. n. 15. ubi tenet hanc sententiam) gratia dispensationis consummatur, & perficitur in relaxatione legis, seu oblatione vinculi aut impedimenti, per legem introducti: ergo non revocatur propter cessationem causæ. Probatur Consequentia: quia licet causa postea cesset, nihilominus dispensatio manet justa & valida: ergo & effectus ejus permanet; quia ille effectus non pendet in suo esse à tali causa.

290.  
Confirmatur  
et de-  
claratur  
exemplis,  
Primum.

Et confirmatur ac declaratur exemplis: nam irregularis dispensatus ad Ordines, propter paupertatem propriam, vel parentum, vel propter indigentiam ministrorum Ecclesie, licet postea cesset illa causa ante susceptos Ordines, nihilominus potest licite ordinari, ex vi illius dispensationis; quia per illam fuit irregularitas simpliciter & absolute sublata, neque est, unde redire valeat, propter solam cessationem causæ, quia nec ab aliqua lege vel homine fit; nec est verisimile, fuisse sublata quasi sub conditione, si causa illa duraret usque ad Ordinum suspensionem. Talis enim restrictio ex forma dispensationis colligi non potest; nam absolute conceditur: neque est necessaria ad justitiam dispensationis; quia non tenetur dispensans prævenire effectus contingentes & accidentarios; se satis est, quod eo tempore, quo fit dispensatio, habeat justam causam. Nam dispensator legis, sicut & Legislatores, non tenetur considerare rarum & contingentem eventum; sed ea, quæ in plurimum accidunt; & ideo illa restrictio est nimis dura & scrupulosa; ergo admittenda non est. Ita præfatus Auctor.

291.  
Secundum.

Et post pauca: Simile, inquit, exemplum esse potest in dispensatione neophyti, v. g. ut sit capax alicujus dignitatis aut beneficii, intuitu virtutis seu honestorum morum, quos reverà habebat, cum dispensatus fuit: nam licet postea mutet mores & graviter peccet, non amittit dispensationem.

Tertium.

Tertium exemplum habetur apud eundem Auctorem lib. 8. de Leg. c. 30. n. 12. Si concedatur (inquit ille) iocinæ dispensatio in voto castitatis, propter morale periculum incontinentiæ, ita ut hæc sit causa in indulto, & unica, & illa postea nubat, non obligabitur ad non petendum debitum; etiamsi pro certo supponamus, quoad hoc cessasse periculum incontinentiæ; quia sufficienter subventum est periculo.



culo incontinentiæ fœminæ, si fit in statu, in quo possit licitè reddere debitum, quia honestæ fœminæ vix solent petere.

292. *Præcluditur evasio.*  
Dices : tunc non cessare omninò causam, sed tantùm quoad aliquid. Sed hoc non satisfacit : tum, quia eadem est proportio partis ad partem, quæ totius ad totum. Tum etiam ; quia aliàs, si tanta est dependentia à causa, ut licitè dispensatio concederetur, debuit à principio ita intelligi, ut esset ad contrahendum Matrimonium, & ad reddendum debitum, non verò ad petendum ; quia respectu integræ dispensationis non erat adæquata causa. At hoc est inusitatum, & nimis scrupulosum, Sic ille.

293. *Resp. Dicitur ad exemplum.*  
Sed quid ad hæc Adversarij ? Sanchez eorum non meminit, & idè nihil respondet. Dicastillo autem ( qui plusculum inclinatur in sententiam Sanchii ) sup. n. 102. ad primum exemplum ait : Irregularitas non est propriè ipsa prohibitio alicujus actûs suscipiendi Ordines, aut ministrandi in susceptis ; sed est moralis inhabilitas personæ ad Ordinem Ecclesiasticum obtinendum, vel in obtento ministrandum ; prohibitio verò ipsam inhabilitatem consequitur, semel autem sublata seu extincta inhabilitas non amplius reviviscit : quando ergò est justa causa illam extinguendi, & extinguitur, restituta personâ ad habilitatem, quam habebat vel habitura esset, si non adfuisset ea inhabilitas, cessat prohibitio ex ea resultans ; quod non contingit in casu nostro, ubi vinculum legis & lex non extinguitur, sed manet ; & ipsa lex est prohibitio generalis, quæ solum impeditur, in ea sententia, ex voluntate ejus, qui dispensat solum ex causa, & non absque causa, ut casus supponit ; non autem cessat ex legis extinctione prius factâ, sicut prohibitio illius irregularis cessat ex extinctione inhabilitatis, jam sublata prius. Sic ille.

294. *Arg. contra.*  
Sed enim, eodem modo dicam ego : impedimentum dirimens non est propriè ipsa prohibitio alicujus actûs, sed inhabilitas personæ ad contrahendum Matrimonium ; prohibitio verò ipsam inhabilitatem consequitur : semel autem sublata, seu extincta inhabilitas, non amplius reviviscit.

Hoc sibi objecit Coninck sup. n. 102. ibi : Dices : dispensatio ista propriè consistit in ablatione inhabilitatis, quâ personæ prius inhabiles ad contrahendum redduntur habiles : ergò per eam mutatur status, sicuti quando ab aliquo aufertur irregularitas ; ergò sicuti hæc semel ablata non redit, cessante causâ dispensationis, ita nec illa.

295. *Prima solutio ex Coninck. Secunda.*  
Respondet autem primò : hanc rationem contrariam sententiam reddere satis probabilem.

Respondet 2. no gando Consequentiam : quia, inquit, status hic consistit in cognatione, quæ eadem perseverat, nec enim personæ illæ desinunt esse cognatæ ; sed solum datur illis potestas, illâ non obstante, inter se contrahendi ; totaque hæc habitatio in hac potestate consistit, & immediate actionem respicit ; quare non mutat statum.

*Resp. ad 2. exemplum.*  
Et idè credo dicendum, quando dispensatur cum illegitimo, ut aliquos Ordines suscipiat, si causa finalis dispensationis, antequam hos suscipiat, omninò desinat. Secus est de absoluta legitimatione ;

*Boſco de Matrim. Pars. II.*

quâ aliquis omninò desinat esse illegitimus, secundum æstimationem moralem, atque ita status mutatur. Hæc illè. Ex quibus claret, quid foret responsurus ad secundum exemplum de Neophyto.

Porro ad tertium de voto castitatis, dicitur : Eum, qui obtinuit dispensationem in voto castitatis, ut possit contrahere Matrimonium ob graves tentationes, quas magno cum periculo salutis patitur, aut ne illustri valde familia cum jactura Reipub. pereat sinè hærede ; cessante causâ dispensationis, antè Matrimonium contractum, aut postquam morte conjugis dissolutum est, cessare etiam dispensationem ; præsertim cum sit donatio alieni juris, quæ strictè interpretanda est, nec ulterius extendenda, quàm causa exigit. Secus est, si desinat esse, durante Matrimonio ; quia tunc res est in diverso omninò statu, in quo esset nimis durum, concessionem finire. Idemque dicendum, quado causa finalis, obtentâ dispensatione, antè Matrimonium contractum solum ex parte desit : quia facilius permittitur usus dispensationis semel concessæ, quàm ipsa initio concedatur ; ideoque ad illud requiritur minor causa, quàm ad hoc. Ita Reg.

297. *Oppugnatur.*  
At quæro ego : Cur potius mutatur status, quando aliquis ex inhabili ad suscipiendos Ordines sacros fit habilis, quàm dum ex inhabili ad contrahendum Matrimonium, fit habilis ? Quid aliud est, hominem esse irregularem, quam actum aliquem commisisse, propter quem per legem universalem Ecclesiæ redditur incapax ad suscipiendos Ordines sacros.

Et verò per ablationem irregularitatis, putas, quòd efficiatur, ut homo non commiserit hujusmodi actum ? Scio, quòd non putes, & idè consultò dixit Coninck : *Secundum æstimationem moralem.* Sed quid est hoc aliud, quàm Superiorem dispensasse cum ipso in illa lege generali, quâ decernitur pro tali actu inhabilitas ?

Nunquid idem cõtingit in nostro casu ? Statuit Ecclesia, ut consanguinei nequeant validè contrahere Matrimonium, dispensat cum aliquibus, manente consanguinitate, quare non possum dicere, per hanc dispensationem desuisse consanguinitatem, secundum moralem æstimationem ? Quod nihil aliud est, quàm jam validè posse contrahere, ac si consanguinei non essent, sicuti desinere irregularitatem, secundum moralem æstimationem non est aliud, quàm hominem post tale factum, v. g. post commissum homicidium posse suscipere sacros Ordines, ac si nunquã tale factum extitisset. Si ergò hic mutatur status, cur non etiam ibi ? Expectabo responſionem à doctioribus.

Quantum ad votum castitatis ; loquitur Suarez de voto castitatis, *Defendit exemplum suarj de voto castitatis.* rursus, quantum ad votum absolute dispensato, sinè ordine ad Matrimonium contrahendum, propter nimiam fragilitatem votantis, & quæritur, utrùm cessante illâ fragilitate, etiam extrâ Matrimonium, redeat obligatio voti : an Coninck hoc concederet, vide tu ; ego saltem non ausum affirmare.

299. *Quare non desinat dispensatio, manente aliquâ causâ, ex Sanchez.*  
Denique : si potest manere dispensatio, desinente causâ solum ex parte, ut putat Coninck sup. post Sanchium sup. n. 8. cur etiam non possit manere, desinente totali causâ ? Quia ( inquit Sanchez ) in moralibus non eadem causa

T t t

loqui = Prima ratio.



requiritur, ut primò fiat aliquod opus, & ut permaneat, postquam factum est. Et minor causa desideratur ad licitum concessionis usum, quam ad ipsam concessionem. Quippè facilis quis ab obtinendo rejicitur, quam ab obtento, cap. *Super his*, de Accusationibus.

*Secunda.* Secundò: quia *Decet, concessum à Principe beneficium esse mansurum*, Reg. 16. de Reg. juris in 6. Ergò in eam partem inclinandum est semper, ut permanentibus reliquiis causæ concessionis illius beneficii, ipsum quòque permaneat.

*300. Tertia.* Tertiò: quia nec lex cessat, quando non omninò ejus causa finalis cessavit. Et quàmvis in lege ea adhibeatur limitatio, quoties reliquæ causæ remanentes sunt tales, ut legis illius denudò condendæ sufficiant; at in dispensatione eam limitationem non admitterem: sed intelligo mentem dispensantis ac committentis dispensationem esse, ut illa sustineatur, dum non omninò causa defecit; quàmvis reliquæ manentes non judicarentur sufficientes ad priorem dispensationis concessionem. Quia id bono communi expedit: tum, ut serupulis obvietur: tum etiam, ne beneficia Principis, quæ permanere decet, facile valore suo destituantur, atque periculo valor rei, faciendæ virtute dispensationis, exponatur. Hæc ille.

*301. Inter causas dispensationis computanda est dignitas Principis, ex Dicast.* Pro qua doctrina, Dicast. sup. n. 103. ait, præ oculis habendum esse, in his dispensationibus concedendis, sæpè inter alias causas computandam esse dignitatem & auctoritatem Principis, quem sicut in aliis muneribus liberalem esse decet, ita & in elargiendis dispensationibus, quæ ab ipso petuntur, & ad ipsius auctoritatem & dignitatem spectat, quòd ex mera gratia & libertate possit aliquando id facere.

*Alia de causa non est dispensatio, satis est, ut dispensatio permanent.* Præterea: sicut in elargiendis muneribus, etiam iis, quæ precario jure, & ad arbitrium revocabiliter conferuntur, sæpè causæ defectus, aut parvitas, quæ sufficeret, ut initio absque detrimento liberalitatis & decentiæ Principum non fieret, non videtur sufficere, ut semel facta gratia vel auferatur vel minuatur; ut si dominus famulo constituisset aliquem censum annuum, ad arbitrium revocabilem, spectatà famuli indigentia, etiam si absque detrimento liberalitatis posset initio, si minor fuisset indigentia, censum vel nullum, vel minorem constituitere; semel tamen factà gratiâ, non sufficit quòd indigentia famuli aliqua ex parte minuatur aut cesset, ut magnus ille dominus liberalitatem primam, & donum vel minuat, vel subtrahat.

*302. Applicatur ad nostrum casum.* Sic in nostro casu, dispensator Princeps, qui spectatà causâ dispensandi, dignum liberalitate suâ judicavit, gratiam dispensationis conferre; etiam si absque ulla illiberalitatis nota, si ab initio minor fuisset causa, potuisset dispensationis beneficium negare, semel tamen exhibitò beneficio, illiberale esset, aut non omninò decens, propter aliquam causæ diminutionem, collatum jam beneficium revocare. Atque adeò censendus non est Pontifex, propter solam cessatio-

nem partis causæ, velle, ut dispensatio jam prius collata non subsistat, si major pars adhuc perseverat. Hæc ille.

Quidni & aliquis dicere possit: censendus non est Pontifex, propter solam cessationem negativam totalis causæ, velle, ut dispensatio jam prius collata non subsistat? Quamquam enim sine causa non potuisset gratiam dispensandi conferre; equidem semel propter causam justam collatâ, illiberale esset, aut non omninò decens propter defitionem causæ merè negativam, collatam jam dispensationem revocare; arg. d. Reg. 16. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum*. Et Reg. 73. eod. dicit: *Factum legitimum retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari*. Ergò facta dispensatio non debet retractari, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.

Respondet Sanchez sup. n. 19. non censetur illud factum legitime & omninò consummatum, id est, non censetur dispensatio legitime facta, & consummata in casu nostro, nisi Matrimonium, quod est ultimus & indivisibilis effectus dispensationis, fuerit contractum.

Sed hoc est quod quæritur; quare dispensatio hic non sit legitime consummata, cum per eam lex sit absolute relaxata, seu vinculum legis absolute sublatum. Quod si dicas, relaxationem fuisse sub conditione; nempe, dum causa perseveraverit, id videtur gratis & sine fundamento dictum. Quia virtute dispensationis temporaneæ, ac pendentis à conditionis persistentiâ, nequit Matrimonium, suapte naturâ perpetuum, iniri.

Planè, inquis; verum enim verò, dum Matrimonium initur, jam dispensatio temporanea fit perpetua; quippè jam ponitur ultimatus & indivisibilis effectus. Putat ergò Sanchez, in omnibus dispensationibus subintelligi debere ejusmodi conditionem, ut licitæ sint, non præsumitur autem, Superiorem dispensando velle peccare.

Prorsus non præsumitur; sed Suarius & Alii contendunt, Superiorem non peccare, absolute dispensando, etiam pro eo tempore, quo post consummatam in se dispensationem, id est, post sublatum vinculum legis, prior causa non perseveraverit. Quod & Sanchez fatetur, ut statim audivimus, modo aliqua saltem causa perseveret. Jam autem videtur semper aliqua causa perseverare, dum solum cessat prior causa negativè. Veluti, dum finis legis solum cessat negativè in casu particulari, manet aliqua causa sufficiens ad æquitatem legis, juxta alibi dicta, scilicet bonum commune.

Rogas; quæ hic causa permaneat ad æquitatem dispensationis? Respondeo: bonum commune, quod postulat, ut beneficium Principis maneat, quando non cedit in præjudicium tertii, aut manifestam continet iniquitatem. Porro in casu nostro Matrimonium non est in præjudicium tertii, neque continet manifestam iniquitatem, cum solum iniquum sit ex præcepto Ecclesiæ; ergò valet dispensatio, estò particularis causa,

*Argumentum contra.*

*303. Resp. Sanchez.*

*Petit principium. Occurrit objectioni.*

*304. Injuria.*

*Solvitur.*

*305. Quæ hic causa permaneat ad æquitatem dispensationis.*



causa, scilicet paupertas, antè contractum deficiat.

Neque tale Matrimonium scandalum potest esse communitati, quandoquidem constat de dispensatione prius legitime datà, & multum probabile sit, eam adhuc perseverare, tamquam quæ expediens sit bono communi: tum, ut scrupulis obvietur; tum etiam, ne beneficia Principis, quæ permanere decet, facile valore suo destituantur: atque periculo valor rei, faciendæ virtute dispensationis, exponatur, ut sup. dicebat Sanchez, quando manent reliquæ causæ. Quod parum est, pro nihilo reputatur: si ergò possit dispensatio perseverare cum parva causa & insufficienti, ad primum dispensandum, cur non etiam absque omni causa? v. g. in casu proposito, si potest manere dispensatio, quando dos ferè competens est, cur non etiam, dum absolute est competens?

Matr. hic non potest esse scandalum communitati.

306. *Objectio.* Quia, inquis, cessante omni fine legis, etiam negative, cesset ipsa lex, quamvis non cesset, cessante solum fine inadæquato. Ergò similiter dispensatio, quæ est lex aliqua privata.

*Solvitur ex Salas.* Respondet Salas sup. §. Tertio: legem cessare, cessante omni ejus causâ & utilitate; quia Princeps non potest sine causa onerare subditos legibus, nec eos obligare ad actus inutiles: dispensatio autem ad nihil obligat; idèò manere potest absque causa, maximè si præfuit causa sufficiens concedendi illam in perpetuum: si enim non præfuit, cessante impostèrùm causâ, deberet revocari à Principe, si hujus rei conscius esset. Quod autem ait Barbosa l. 1. à. n. 85. ff. Solutio Matr. cessante ratione privilegii, per leges doti concessi, id cessare, verum est; quia tunc esset injustum, & sine causa damnum inferret aliis: dispensatio autem in lege propria positiva aliis non nocet, idèò suam vim retinere potest, etiam cessante causâ, ob quam concessa est. Hæc ille.

307. *Similis solutio ex Suario.* Simili ferè modo respondet Suarius sup. lib. 8. cap. 30. n. 20. Lex, inquit, inducit obligationem, non autem privilegium per se, & ut favorem præbet tali personæ. Unde fit, ut lex communis, cessante negative, & in universali fine ejus, cesset; quia facta est inutilis communitati, & consequenter definit esse lex; quia amittit proprietatem, quæ est de essentia legis. Unde rectè etiam dici potest, eo ipso fieri pravam in ratione legis; quia imponere onus inutile communitati, iniquum esset; ac denique sub ea ratione non malè dici posset talis cessatio causæ non tantum negativa, sed etiam contraria legi; quia tollit iustitiam ejus; sicut in actu indifferenti ex objecto, & bono ex fine honesto, cessatio vel carentia talis finis dici potest contraria tali actu, sub ratione meriti aut virtutis. At privilegium de se non est onus, sed favor privilegiarii: & licèt ratio concedentis cesset seu transeat, non statim fit inutile privilegium ei, cui concessum est, nec etiam onerosum; & idèò ex hac parte non procedit in illo dicta ratio, ut cessare debeat. Ita Suarez.

308. *Non valet* Ergò non valet hic argumentum à lege ad dispensationem, ut tunc semper ipso facto cesset

Bosco de Matrim. Pars II.

dispensatio ex defectu causæ, quando cessaret lex. Sed neque hoc argumentum concludit: Si universaliter ex causa lex abrogetur, etiam si postea cessaret causa, non eo ipso reviviscit lex: ergò similiter, si per dispensationem relaxetur lex in casu particulari ex justa causa, etiam si postea cessaret causa, non eo ipso reviviscet lex.

Quippè disparitas est (ut notat Dicast. sup. n. 102.) quòd per dispensationem non tollitur lex propriè; sed impeditur, ne obstet, propter causam sic impediendi vim legis; quæ causa, si deficiat, non censetur, nec censi debet voluntas dispensantis fuisse, ut impedimentum & obstaculum legis, ad ligandum illum, adhuc perseveret; atque adèò non est in nostro casu reviviscencia legis comparatione illius hominis, sed cessatio impedimenti, quòd ex causa, & dependenter à causa existebat, ne lex ad ipsum comprehendendum se extenderet; & ablato impedimento, ob non subsistentem causam, lex, quæ adhuc vivebat, se extendit ad illum, sicut ad alios. In casu autem abrogationis legis, lex, quando subsistebat causa, penitus extincta fuit; atque adèò quàmvis causa abrogandi post ipsam abrogatam cesset, non idèò reviviscit, & necessarium est, denuò ut condatur, ut ad id teneantur homines, ad quòd prius tenebantur per legem extinctam priorem. Ita præfatus Auctor.

Sed aliquis consimiliter diceret: in casu dispensationis legis, lex, quando subsistebat causa, penitus extincta fuit respectu talis hominis, atque adèò, quàmvis causa dispensandi, post ipsam dispensatam, cesset, non idèò reviviscit, sed necessaria est nova voluntas Principis, ut ad id teneatur, ad quòd prius tenebatur per legem dispensatam priorem.

Dicere autem: Princeps non habuit voluntatem absolute eam extinguendi, sed tantum pro tempore, quo duraret causa, est petere principium. Et similiter dici posset: Princeps non habuit voluntatem, per abrogationem eam absolute extinguendi, sed tantum pro tempore, quo duraret causa abrogationis; saltem tunc, quando sine causa non poterat eam licitè abrogare. Et tamen nemo docet, legem simpliciter abrogatam propter causam, quam bonâ fide Princeps existimabat perpetuam, eâ cessante per accidens, ipso facto reviviscere, quasi tantum sub conditione fuisset relaxata, scilicet permanentiæ causæ.

Sicut ergò talis abrogatio non fuit iniqua, quàmvis posset ratus casus contingere, in quo ipsa foret omninò necessaria bono publico, quòd Legislator ex natura rei tonetur procurare: sic indidem dispensatio non erit iniqua, nec dispensator iniquus, si probabiliter putavit causam perpetuam fore, & idèò dispensavit, non limitando aut restringendo. Quæ enim disparitas? Sicut autem cessante causâ abrogationis legis, tenetur Legislator eam rursus condere, si necessaria est pro bono communi; sic quoque cessante causâ dispensationis, si id sciat, & commode possit, teneretur eam revocare, ne pars sine causa sit difformis toti in oneribus & legibus.

hic arg. & lege ad dispensationem.

Assignantur disparitas ex Dicast.

309. Oppugnatio.

Videtur potere principium.

310. Comparatio inter abrogationem legis & dispensationem.



*Resp. ad d.  
I. Ex facto  
Prima.*

Hinc facile respondetur ad 1. *Ex facto*, superius ex adverso inductam à Sanchio ? Respondetur, inquam, primò : illum effectum non fuisse plenè consummatum, quia semper erat in fieri, & pendens ab eventu futuro; nondum enim substitutus successerat, & substitutio includebat eandem conditionem, quam privilegium, scilicet, nisi filius habere posset hæredem.

311.  
*Secunda.*

Unde dicitur 2. & clariùs, privilegium illud, ut esset iustum, à principio fuisse concessum sine præiudicio tertii; & idè non fuisse substitutionem omninò absolutam, sed quali sub conditione, vel præsuppositione amentia filii, & impotentia ad testandum; ac subinde, testante illà conditione, non propriè retractatur effectus privilegii jam factus, sed per se definit & irritatur propter conditionem non impletam; quia non fuit absoluta substitutio, sed sub conditione amentia, utique usque ad mortem, seu durantis usque ad effectum decedendi sine testamento ratione illius. Ita Suarez sup. n. 5.

Quid simile reperitur in nostro casu ? Sanè per Matrimonium, quod contrahitur, nulli fit præiudicium, veluti in casu d. leg. fieret præiudicium homini seu filio sanæ mentis, auferendo ei factionem testamenti, ad quod aliàs habebat jus.

312.

*Virgine  
sententia est  
probabilis.*

Plura hic possent dici, sed omitto ea, quia non pertinent ad præsentem tractatum. Hoc firmissimè tene, utramque sententiam esse probabilem; in praxi autem, antequam Matrimonium contractum sit, consulendam esse sententiam Sanchii, ne Sacramentum exponatur nullitati, & valor matrimonii reddatur disputabilis, & Matrimonium jam contractum contingat dissolvi. Post Matrimonium autem contractum, ita pro ejus valore, qui ad minus dubius est, imò satis probabilis.

*Ultimum  
arg. San  
chez.*

Nota autem pro fine : non benè solvi à Suarrio argumentum ultimum Sanchezii, quod tale est : Absurdum videtur, ut is, cum quo est legitime dispensatum ad carnium esum ratione debilitatis dubia, & quæ ex se non excusabat seclusà dispensatione, possit eis vesci, si integram, et si miraculosè, sanitatem recuperet.

313.

*Solutio sua-  
rij.*

Respondet Suarez sup. lib. 6. c. 20. n. 18. Lex jejunii quadragesimalis, licet per modum unius concipiatur, reverà virtute multiplex est, & singulis diebus quasi novam obligationem imponit, & idè dispensatio in illa lege non fit absolute tota simul, & virtute est multiplex dispensatio, & pro singulis diebus veluti singulæ dispensationes conceduntur, & unaquæque propriam causam pro suo tempore seu die requirit. Atque ita quàmvis in eo casu videatur dari simul pro tota Quadragesima, non ita datur, ut statim auferat totum vinculum legis pro tota Quadragesima; sed ut successivè illud auferat, prout successivè obligaverit, si eadem ratio excusationis perseveret.

Neque in illa materia potest aliter considerari causa justificans dispensationem, nisi ut habentem tractum successivum cum ipsa lege; & idè in talibus dispensationibus regulariter so-

let explicari illa conditio; quòd si interdum non exprimitur, idè est, quia vel duratio causæ tamquam moraliter certa supponitur, vel quia ex qualitate materiae tamquam nota relinquatur. Et idem est in similibus præceptis habentibus tractum successivum; secus verò est in dispensatione, quæ statim tota simul conceditur, & habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum: nam illa simul habet totum effectum, & simul etiam habere potest causam, propter quam absolute concedatur. Hactenus Suarez.

Sed tu nota, Sanchium non ponere pro exemplo legem jejunii Quadragesimalis; sed simpliciter legem jejunii, etiam pro uno die tantum; & de hac quæritur, an si propter infirmitatem dispensata fuisset, & subito post dispensationem per miraculum infirmitas cessaret; utrum etiam cessaret dispensatio, atque adeò illicitè illo die comederet carnes.

Salas sup. §. septimò: respondet, non peccare mortaliter, sed ad summum venialiter; quia dispensatio retinet suum valorem, donec revocetur.

Ego autem dico: nequidem venialiter peccare, si dispensatio maneat valida; non enim deformitas partis à totò est peccaminosa, ubi obligatio non est conformis, ut alibi latius diximus. Sed numquid manet dispensatio valida, ut vult Salas? Videri posset quòd sic; quia vinculum hujus diei est unicum tam formaliter, quàm virtualiter; & infirmitas, quæ nunc est, videtur causa sufficiens, ad illud vinculum indivisibile absolute auferendum; sicut in casu nostro incompetencia dotis, seu paupertas, quæ nunc est, est causa sufficiens absolute auferendi impedimentum v. g. consanguinitatis. Expectabo à Lectore meo rationem disparitatis.

Interim subscribo cum Sanchio lib. 8. disp. 19. n. 29. dos non dicitur sufficiens absolute, sed respectivè; atque adeò mulier, quæ est grandæva, vel filios ex alio Matrimonio habet, vel est deformis, vel de aliquo crimine infamata, ob illudve punita, eò ampliori indiget dote, quo illa vitia compensentur, ut sic viro æquali nubat; quàmvis iis vitiis seclusis, posset cum ea dote, quam habet, commodè nubere. Valebit ergò dispensatio impetrata, allegando tali casu defectum dotis, ob quem mulier debeat manere innupta. Adde, inquit Sanchez, reverà Pontificis mentem eò tendere, ne hæc fœmina innupta maneat; & nil refert, undè id dimanet, & verificatur fore, ut sit innupta.

Hanc opinionem sequitur Gobatius sup. n. 667. ibi: Reverà dicitur moraliter carere dote puella, quæ licet sit instructa dote ad reperendum virum paris conditionis sufficiente, si consideretur sine deformitate, aut infamia; non tamen est instructa sufficiente, si spectetur in concreto cum suis defectibus; certè nemo ducit uxorem in abstracto, sed in concreto, talem scilicet, qualis ea est. Sic ille.

De cætero observandum hic restat, quod ait

314.  
*Non satis-  
est.*

*Responsio  
Salas.*

315.  
*Inactionem  
Auctoris.*

316.  
*Dos non di-  
citur suffi-  
ciens absolu-  
te, sed res-  
pectivè, ex  
Sanchez.*

*Consonas  
Gobatius.*

317.  
*Expenditur  
In*



*Decret.* In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter  
*Trid. ff. 24.* magnos Principes, & ob publicam causam. Et cum  
*6. 5.* non determinet (inquit Aversa sup. §. Denique)  
 consanguinitatem, censetur loqui etiam de affi-  
 nitate, saltem proveniente ex copula conjugali.  
 Non tamen de publica honestate, quæ ex eo-  
 dem Concilio non excedit primum gradum.

*Qui in eo* Et quidem in rigore nominis, per ly *Magno-*  
*intelligan-* *Principes*, non debent intelligi, nisi ha-  
*tur per* *Principes*, non debent intelligi, nisi ha-  
*Magno-* *Principes*, non debent intelligi, nisi ha-  
*Principes*, non debent intelligi, nisi ha-  
*ex Sanchez.* tamen Sanchez sup. n. 2. vult intelligi quos-  
*Henri-* *Principes*, non debent intelligi, nisi ha-  
*quez.* cumque Dominos titulares, sive Nobiles, qui  
 sunt in aliqua Baronia. Henriquez lib. 12.  
 c. 3. n. 6. & 9. vult intelligi omnes prin-  
 cipales personas, & homines opulentos. Et  
 quàmvis utraque interpretatio non satis ad-  
 aptari possit nomini magnorum Principum:  
 tamen praxis ipsa & consuetudo ad talem in-  
 terpretationem, vel moderationem, illud re-  
 duxit, ut etiam, juxta ultimam explicationem,  
 ad principales sive opulentos extendi soleat hæc  
 dispensatio.

318. Item; per publicam causam in rigore debe-  
*Quid in-* ret intelligi per se ac directè bonum publicum  
*telligat per* *ly Publi-* communitatis. At eadem moderatione factum  
*ly Publi-* *cam cau-* est, ut etiam ob commodum & bonum priva-  
*tam.* tum, quod tamen cedat etiam, saltem remotè,  
 in bonum publicum, hæc dispensatio conceda-  
 tur. Hucusque Aversa. Sanè praxis est optima  
 legum interpret. Si ergò praxis sic se habeat, uti  
 hic Auctor affirmat, ab ea non est receden-  
 dum.

319. Specificat autem Sanchez sup. n. 4. causas  
*Quæ sint* *causas privatas*. Prima, Matrimonium esse inter hos  
*causas privatas* *causas privatas* jam initum, cum ignorantia rigoris prohibiti-  
*causas privatas* *causas privatas* nis Tridentini. Secunda, proles jam habita.  
*causas privatas* *causas privatas* Tertia, diuturnitas Matrimonii malè contracti.  
*causas privatas* *causas privatas* Quarta, scandalum ex separatione oriturum.  
*causas privatas* *causas privatas* Ultima, clementia Pontificis, quòd puella pau-  
*causas privatas* *causas privatas* per sit, velitque patruelis ipsam ducere, ac ho-  
*causas privatas* *causas privatas* nestè dotare. Sic ille, ex Navarò lib. 4. Con-  
*causas privatas* *causas privatas* sil. tit. de Consanguin. in priori edit. toto con-  
*causas privatas* *causas privatas* sil. 6. in posteriori toto consil. 13.

Neque reperitur acceptio personarum in eo,  
*Occurrit* *objectio.* quòd facilius cum divitibus & potentibus dis-  
 pensetur. Quia (inquit Sanchez sup. n. 5.)  
 dispensatio in his gradibus præcipuè conceditur,  
 ob firmandum pacis fœdus, quòd magis necessa-  
 rium est bono communi circà divites & poten-  
 tes, quàm circà pauperes & populares. Et ex-  
 pedit vaide ipsi Ecclesiæ ac Pontifici seu Superi-  
 ori dispensaturo, divites & potentes habere  
 propitios & faventes, utpote à quibus melius  
 possunt defendi.

320. Et hætenus de causis justis dispensandi in  
*Finis Con-* *clus.* impedimentis Matrimonii, satis, ut arbi-  
 tror, pro hoc loco. Quia autem nonnum-  
 quam contingit, ut dispensatio Pontificis nul-  
 la & irrita reddatur, vitio subreptionis aut  
 obreptionis, id est, vel narratione falsi, vel sup-  
 pressionis veri, ex quo inducatur Pontifex ad  
 dispensandum præter suam mentem, eò quòd  
 veritatem dignoscens, non dispensasset, ideo

cautè advertendum est à petente dispensatio-  
 nem, ne falsum aliquid exponat, quòd non de-  
 beret, vel verum aliquid reticeat, quòd manife-  
 stare deberet. Hinc erit

CONCLUSIO V.

Ut valeat dispensatio, exprimi de-  
 bet in petitione, an affinitas or-  
 ta sit ex copula conjugali, vel  
 fornicaria.

PRO clariori intelligentia hujus & subse-  
 quentium Conclusionum, præmitto brevi-  
 ter, quæ Sanchez sup. disp. 21. diffusius tra-  
 ctat. In primis: taciturnitas qualitatis, quam ju-  
 ra specialiter exprimi jubent, reddit dispensatio-  
 nem subreptitiam seu obreptitiam, atque adeò  
 nullam & irritam, quàmvis constet fore, ut,  
 eà expressâ, Princeps eadem facilitate dispen-  
 sasset.

Ratio est: quòd pro forma exigant jura ha-  
 rum qualitatum expressionem: at forma ad un-  
 guem est servanda, etiam in his minimis; arg.  
 l. 1. ff. de Lib. & posth. sequentis tenoris:  
*Quid sit nominatim exheredari, videamus. Nomen*  
*& pronomen & cognomen ejus dicendum est? An*  
*sufficit vel unum ex his? Et constat sufficere. Secus*  
*si nullum ex his, quantumvis minima sint.*

Idem constat ex cap. 23. de Præb. in 6. ubi  
 Bonif. VIII. referibit in hæc verba: *Si motu*  
*cap. 23. de* *Præb. in 6.* proprio alicui, aliquod beneficium obtinenti, confere-  
 mus aliud, de illo non habitâ mentione: non ob hoc  
 gratiam hujusmodi, quæ de nostra mera liberalitate  
 processit, invalidam volumus reputari. Secus si ad  
 petitionem illius, vel alterius, pro eodem allatam,  
 gratiam hujusmodi faciamus: tunc enim quantum-  
 cumque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam  
 veluti subreptitiam vires nolumus obtinere. At aper-  
 tè constat, id modicum beneficium tacitum  
 non foro impedimento, quò minus Pontifex  
 conficius, eadem facilitate aliud concederet. Ita  
 Sanchez sup. n. 13.

Et ante ipsum Felinus de Rescript. cap.  
*Ad aures,* n. 12. Conclus. 9. ubi sic ait: *Et Felinus*  
 Quando à lege data est forma alicui concessio-  
 ni, non sufficit, quòd simus in casu, in quo Prin-  
 cept concessisset, etiam formâ non servatâ, sed  
 semper illa est necessaria. Textus optimus in  
 d. c. *Si motu*, in verb. *Quantumcumque modicum*,  
 ubi, propter beneficium modicum non expres-  
 sum, vitiatur gratia; & tamen reverâ ejus ex-  
 pressio nihil alterasset animum concedentis. Et  
 in istis non arguitur à majoritate rationis. Sic  
 ille.

Perinde autem est, sive ea qualitas taceatur  
 ex malitiâ, sive ex simplicitate, ut notat Gloss.  
 ibi verb. *Taceatur*, dicens: *Indistinctè intelligo: sive fiat ex*  
*malitiâ, sive* *simplicitate* cum enim jus non distinguat, nec ego distinguam: *sive*  
*unde sive per malitiam, sive per simplicitatem taceat,*  
 unde sive per malitiam, sive per simplicitatem taceat,  
 locum habet hæc Decret.

Hanc Gloss. sequitur Sanchez sup. n. 14. Sanchez  
 Cum

321.  
 Taciturnitas qualitatis, quam jura volumus exprimi, reddit dispensationem irritam.

Probatio. et l. 1. ff. de Lib. & p.

322.  
 Item ex cap. 23. de Præb. in 6.

Est sententia Sanchez.

Et Felinus

323.  
 Perinde est, sive fiat ex malitiâ, sive simplicitate.